

Deinde multi imaginantur sibi plures molestias vitæ conjugalis, quàm revera sunt. Porò molestiæ vitæ conjugalis condiantur multis jucunditatibus; ut jám omittamus alia.

VII. *A causis divorcii à Deo prescriptis ad humanas non valet argumentum. Nam hīc non est par ratio.*

VIII. *Ex necessitate coniugii hypothetica non rectè conciudetur absoluta. Si quis enim à Deo habeat donum specialis continentiae, debet illud talentum rectè collocare, & proinde abstinere à conjugio.*

## C A P U T XVII.

### *De Magistratu.*

I. *A Magistratus considerato in concreto ad magistratum in abstracto non valet consequentia. Nam ibi consideratur persona, quæ multis modis potest esse vitiosa: hīc functio, quæ suâ naturâ est bona & sancta.*

II. *Ab administratione imperii ad imperium seu potestatem non valet conclusio. Eadem est ratio hujus canonis, quæ præcedens. Sic Nimrodi imperium erat res bona: administratio mala.*

III. *A iure regis vero ad usurpatum, & vicissim,*